



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.3. Sanctorum ad Domini crucem solennis ac festa occupatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

fortasse censebit nonnemo, Christi crucem à S. Ambrosio *De inffit.*
Virg. c. 17.
Eph. 3. v. 18
eternalem appellatam; velut sempiterno in cælis ævo dura-
turam. Idem multos velle testatur noster Cornelius. Et
videri potest Cyprianus Uberti l. 4. de Cruce c. 8. ubi expres-
sè docet; crucem cælo æternùm recipiendam, neque conve-
nire, ut Beati æternùm ejus aspectu priventur: quanquam
is in principio significet, non ipsum lignum crucis Domini-
cæ, sed ex aère condensatam crucis figuram in iudicio com-
parituram.

§. 3.

Sanctorum ad Domini crucem solennis ac festa occupatio.

Sed quoniam semel in eam cogitationem venimus, & il-
lud consequenter piè licebit cōmentari: ut, quemadmo-
dum nunc ex recepto Ecclesiæ more, Clero populoq; suppli-
cationis ergò procedenti, signū crucis præfertur, ut Christi
vexillum & nota propria militantis Ecclesiæ: ita in illâ post
homines natos solennissima lætissimaq; agminum beato-
rum è loco iudicij ad cæli templa processione, ipsum crucis
lignum præferendum sit, ut regale vexillum Domini nostri,
& perpetuum Ecclesiæ cum eo triumphantis insigne.
O diem illam (sic enim meritò illam appellem) Exaltatio-
nis sanctæ crucis verè festivam: quando non jam in Golgo-
thæ fastigio, sed in summa cælestis Sionis arce, inter lætissi-
mas totius cælestis curiæ acclamationes locabitur, splendo-
re fulgens inextinguibili, ac lauro palmisue perennibus, at-
que immortalibus amaranthis coronata! Atque exinde li-
cebit delectabitq; cæli cives, isti ligno vitæ in medio Paradi-
posito certatim circumfundi, & nunc illud complexu strin-
gere, nunc jucundè disfluviari, nunc altitudinem ejus lon-
gitudinemue metiri, nunc cognoscere loca clavorum, nunc,
si qua fortassis in eo supersint divini cruoris vestigia, ore
rimari; ad extremum altissima eorum mysteriorum, quæ in

eo facta sunt contemplatione & admiratione defixos, sub
ejus umbra requiescere.

Pòst verò ad plausus gratulationesq; conversi: Hoc
illud est, inquit, inclytum lignum, sceptrum Regis, vexil-
lum Ducis, currus Triumphatoris nostri. Hoc gladio ex-
sus est hostis, debellatæ inferorum potestates, triumphata
mors & exarmata. Salve lectule Salomonis nostri, altare
holocausti divinissimi, arca naufragantium, dux errantium,
reorum asylum, baculus peregrinantium, lignum vitæ, pi-
gnus gloriæ, clavis cæli, portus salutis, trophæum immorta-
litas. Ita pro se quisque (quantum conjecturâ licet affe-
qui) in pulchras seu crucis seu Crucifixi laudes effusi, unâ in
varios sese affectus explicabunt, ipsis prædulces, nobis au-
tem inexplicabiles.

Sed earum rerum gustum aliquem dare studui; ut fa-
miliariorem jucundamq; nobis reddamus crucis ac Crucifi-
xi memoriam, & hoc habeamus, vel pium animi avocamen-
tum inter curas mortalis vitæ, vel dulce laborum miseria-
rumq; levamentum; atque exules ac peregrinos delectare,
incipiat in via, quod cives Sanctorum & domesticos Dei fa-
ctos, æternum tenebit oblectabitq; in patria.

Verùm cum post hæc scripta in B. Petri Damiani locum
inciderim, in quo ea quæ modò dixi, apertè ac planè tra-
duntur, placet ejus verba ad rei totius confirmationem ad-
ducere.

Is enim sermone 49. cum illa dixisset: Beatam crucem
extremi judicij tempore, Angelorum ulnis advehendam &
ponendam ob omnium oculos, non auro jam gemmisue
conspiciam, sed supra stellarum solisq; splendorem, radian-
tem: tum ita expressè in rem nostram. *Expleto itaque ju-
dicio, cum ipsa cruce omnes justi simul p-ovehantur ad regnum;
cujus olim sive in pace, sive in persecutione pertulere supplicium.
In illa igitur immortalitatis gloria, crucem splendidissimam
semper*

semper afficiunt, signumq; victoria quo redempti sunt, mundumq; vicerunt, habere se praeculis ineffabiliter gratulantur. Propterea & Salvatoris sui jugiter laudes alternant, eiq; semper gratias referentes, in illa perpetua jucunditatis amenitate tripudiant. Haec omnia B. Petrus Damiani.

CAPUT XIII.

Iugem ac devotam patientis Christi memoriam, esse magnum signum Divinae praedestinationis.

§. I.

Ejus assertionis ratio ac sensus exponitur.

Permagna vis in hoc argumento ac momenti plurimum positum est. Nam veluti ijs qui erga Christi passionem pie se affectos sentiant, non mediocri solatio; ita cuius animae de sua salute sollicitae, ad idem studium suscipiendū acri incitamento fuerit; si illud pervaserimus: Christi passioni addictum devotumq; animum, notam esse electorum propriam, & non obscurum indicium divinae ad salutem praedestinationis.

Cujus quidem rei nobis umbra quaedam atque figura proponitur Ezechielis nono capite; ubi **D**EVS offensus populi sui sceleribus, disperdere volens ac delere Jerusalem, praecipit Angelo, ut transiret per mediam civitatem, praecedens ultrices aliorum Angelorum dexteras, & signaret *Thau super frontes gementium, & dolentium super cunctis abominationibus quae sunt in medio ejus*: nimirum ut eo insigni ac notā discreti à cæteris, immunes essent communis vindictae, nec cædis discrimine implicarentur.

Ut autem observat in eum locum S. Hieronymus: *An-*

L 3,

riquis